

cum enim Joannes se nec Christum, nec Eliam, nec Prophetam esse respondisset, nullum invenire titulum poterant, quo eum pro dignitate revereri possent: « Ac si dicerent: Tua insignis et excellens « virtus non patitur, te commone esse hominem, « adeo ut si Christus non sis, saltem sis illius præ- « cursor illustris. »

2. — Rupertus Abbas Tuitiensis, eorum legatorum in suis interrogationibus importunitatem reprehensurus, hæc phrasi utitur: « Qui sibi sapientes « et prudentes habebantur, interrogationibus irre- « verenter habitaculum tantæ gratiæ pulsaverunt. »

#### Quid dicit de teipso.

3. — S. Joannes tantam sibi aestimationem comparaverat, ut majorem sibi, quam Christo fidem adhiberent; huic etenim improperarunt, dicens, *Joan.*, vii, 43: *Tu de teipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum;* at vero testimonium Joannis tanti faciebant, ut Dionysius in persona horum legatorum dicat, hanc questionem, eundem sensum habuisse, ac si dixissent: « Tu « tantæ excellentiæ es, ut proprio testimonio tuo « de teipso prolatum credendum sit. » Tametsi enim nullius testimonium in causa propria juxta usum legale, nisi mediante juramento recipi soleat; attamen S. Joanni etiam se Filium Dei esse dicenti, fidem facile adhibebant.

#### Additio.

a. — *Quid dicit de teipso?* Sciebant optime Judæi, Baptistam minime esse Messiam, quod erat evidens, ortus enim erat ex tribu Levi, et tamen petunt ab eo, ut de se proferat testimonium, ac dicat quisnam sit. Cur hoc? nisi ut facinus quo affectabant Christum verum regem illa dignitate expoliare, non ipsis sed Baptistæ ascriberetur. Sic quandoque alios culpamus, et ipsi insontes haberi volumus, licet vere simus rei. De Saule scribitur: *Exagitabat eum Spiritus nequam.* Et quidem hoc de Saule dici poterat: *Ecce diabolo enim erant et desideria Patris sui perficere volebat;* quod illi cum Amalech intercessit, in quo se divinis præceptis immergeret et rebellem probavit. Postquam enim S. Propheta Samuel a Deo ad ipsum missus, ut ei contumaciam ejus in faciem improperaret, ab eo quævisset quænam illæ armentorum et gregum voces essent, atque balatus, hoc ab ipso responsum retulit: *Pepercit populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo (I Reg., xv, 5).* Quibus verbis in populum omnem propriam culpam coniecit, neque enim volunt principes errasse, neque erroris aliejuis redargui amant.

#### VERSUS 23.

*Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta.*

*Ait: Ego vox.*

1. — Porro vox nihil est aliud, quam modicus quidam repercussus aer. Ecce tibi igitur vilissimum conceptum, quem is, qui passim ab omnibus Filius Dei esse credebatur, in interiori cordis sui habebat, neque enim ipse se Zachariæ summi Sacerdotis filium, sed vocem tantum esse dicebat. Gabriel Archangelus de eo prædixerat: *Erit magnus coram Domino;* ipse vero illud *Ecclesiastici*, ii, 20, consilium adimplere voluit, dicens: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.*

Quando, an Deus, Propheta, Messias esset, interrogabatur, semper respondit: *Non, idque repelitis vocibus:* at vero dum urgeretur, ut quis esset, ediceret, se vocem esse respondit, et nihil amplius. At vero ut S. Bonaventura ait, in *Joan.*: « Quia sic « se humiliavit, merito Christus eum laudando « exaltavit, dicens: *Inter natos mulierum non « surrexit major,* tria enim, quæ homines am- « biant, contempsit Joannes, et adiecit a se: « sublimitatem excellentiæ, quando negavit se esse « Christum; aestimationem sanctimonie, quando « negavit se esse Eliam; opinionem incognita « scientiæ, quando negavit se esse Prophetam. » Enimvero dicere quis posset huic vocis titulum minime illi convenire posse, utpote qui in virtute stabilis, optimeque fundatus fuerit. Unde Beda ait: « Joannis humilitas commendatur, qui cum tantæ « virtutis esset, elegit solide subsistere in se, ne « humana opinione raperetur supra se. » E contra vero in eo sensu, quo Christus de ipso dixit: Ipse est Elias, jure merito Eliam se esse asserere poterat, quod tamen noluit; veri namque humilis viri virtus præcipue elucet, non dum honorem, quem meretur, respuit; verum dum etiam illi accipiendo reluctatur, quem juste acceptare potuisset; verus namque humilis dona celestia, quibus exornatus esse noscitur, pro viribus celat et obtegit, estque contrariæ prorsus indolis a superbo, qui de iisdem ostentationes publicas facit.

2. — Rupertus Abbas, lib. I in *Joan.*, solos humiles intelligere posse dicit id, quod S. Joannes vocem se nominando dicere voluit: « Ex hoc dicto, « solis parvulis, id est, humilibus intelligi datur, « quia contemporalem Christi se esse fatetur, ac si « aperte dicat: Non sum ego Christus, sed ego ille « sum, quem interiori auditu audivit Isaias cla- « mantem vobis, ut paratis vias ejus. » Toletus Joannem jam de se factam suam confessionem per sacræ Scripturæ testimonium confirmare, eisque propriam ignorantiam ob oculos statuere voluisse dicit: « Quasi diceret: vos queritis an sim Elias,

« an ille Propheta, qui in Scriptura illos venturos « vos legisse videmini; sed non consideratis, alium « præter hos superesse, qui etiam in Scriptura pro- « phetatur venturus: *Isaias* enim, iv, 3, alium « prænuntiavit præcursorem, dicens: *Vox clamantis, etc.* Ego igitur sum ille. » Illo utique Malachiæ textu uti potuisse, in quo ipso denominatur Ange- lum, quem Christus in ejus honorem allegavit: « Maluit tamen uti testimonio Isaiæ, tum quia « major erat Propheta, tum quia conformior erat « hæc ejus prophetia vite et prædicationi ipsius, « quia ipse in deserto clamabat. » Est et alia quædam præcipua ratio, ut hoc testimonium conformius sit contemptui sui ipsius, et humilitati suæ, adeo sublimis honoris oblationi oppositæ, quæ vox parvi fit, et parum aestimatur.

3. — Alius quidam interpres, præter hæc aliam adhuc tradit rationem, cur hoc se nomine appellaret: « Quia, inquit, testimonium exhibuit de præ- « sente Christo, alii vates Christum demonstrebant « venturum; at Joannes indice prodit, » citatque testimonium Aristotelis dicens: « Voce utimur ad « presentes, scriptura ad absentes; vox quia præco « fuit Christi, præco autem voce clamat, non « scripto. »

4. — Hugo Cardinalis ita exponit: « Quasi dicat, « non sum quidem Christus, neque Elias, neque « Propheta, sed sum præco ejus, qui presens est, « ostendens eum, sicut vox ostendit verbum: vox « cum verbo transit usque ad auditum, et postea « perit vox, et permanet verbum, ita Joannes: « sicut ergo vox excitat auditum, ut verbum reci- « piatur, ita Joannes excitavit Judæos, ut Christum « reciperent.

5. — S. Thomas nos ad devotionem S. Joannis admirandum invitat, ipsum namque illud Apostoli ad Galatas, ii, 20, adimplevisse existimat, dicens: « *Vivo ego jam non ego.* Et ideo non respondet: « sum filius Zachariæ, dicit autem se vocem esse, « quia vox origine posterior est verbo, sed notitia « prior; nam verbum in corde conceptum, per « vocem prolatum cognoscimus, cum sit signum « ejus; Deus autem Pater præcursorem misit Jo- « nem in tempore factum, ut Verbum ab æterno « conceptum annuntiaret; » sicut vox manifestat, et innotescere facit conceptum, qui in mente nostra reconditus latet: ita S. Joannes mundo innotescere fecit Verbum, quod in sinu Patris abscondebatur, neque etiamnum incarnatum nobis innoterat: *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Similiter sicut verbum mentis nostre, voce qua exprimitur, antè- rius est, tametsi in audiente prior vox sit, ita Christus Verbum Patris prior fuit Joanne, licet respectu annuntiationis Præcursor præcedat: *Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est.* Albertus Magnus dicit: « Vox verbum præcedit, quia in voce

« formatur verbum, et sic Joannes præcursor est « Verbi. Vox verbum declarat, sic Joannes declara- « bat Christum, ecce Agnus Dei. Vox deficit, et ver- « bum auditum proficit: *Joan.*, iii, 30: *Me oportet « minui, illum autem crescere.* Vox est inutilis « absque verbo, et sic fuit inutilis Joannis prædi- « catio sine Christo. » Vox a semetipsa nullum habet esse, aut durationem, nisi dependeat ab eo, qui illam profert; ita quoque S. Joannes nihil sibi attribuit, sed omnia dona et gratias a Deo se habere cognoscit, ac proinde coram illo sese humiliabat: Deum namque illum esse, qui in ipso loquebatur et operabatur, agnoscebat.

6. — Alcuinus in hunc textum Evangelii scribens, S. Joannis Evangelistæ testimonium adducit, Filio Dei Verbi titulum imponens, dum ait: « *In principio erat Verbum, etc.* Ex ipsa vestra « locutione cognoscitis, quia prius vox sonat, ut « verbum postmodum possit audiri: Joannes ergo « vocem se asserit, quia Verbum præcedit. Adven- « tum itaque Dominicum præcursorem, vox dicitur, « quia per ejus ministerium Patris Verbum ab « hominibus auditur. »

7. — Quamvis hic vocis titulus S. Joanni ex alio quoque respectu attribui posse videatur. Toletus ait: « Totum quod erat in Joanne, vox erat, in- « duens Judæos ad penitentiam, ad observatio- « nem et fidem; si spectare velis ejus nativitatem, « conversationem, vitam, vestitum, et prædicatio- « nem. » Omnia enim hæc in S. Joanne factunda quadam et efficax persuasiva erat ad innocentiam et sanctitatem, deserto nimirum, miraculosa ejus nuditate, et nuditate continuo predicantibus. S. Ambrosius, *Serm.* ix, ait: « Etiam hodie clamat Joan- « nes exemplo et verbo, et vocis suæ tonitruo de- « sertis nostrorum conuenit peccatorum. »

#### Clamantis.

8. — S. Thomas, in *Joan.*, duos clamandi modos distinguit, dicens: « Quod autem addit, clamantis, « potest intelligi dupliciter, ut scilicet sit vel Joan- « nis clamantis et predicantis in deserto, vel Christi « clamantis in seipso secundum illud, *II Cor.*, xii, 3: « *An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur « Christus.* » Sanctus Præcursor innumeros homines convertebat, ipsum quoque Herodem regem im- pium atque sacrilegum, de quo dicitur: *Libenter eum audiebat, et auditio eo multa faciebat:* hoc tamen non obstante S. Joannes Verbum æternum in se et per se loquens agnoscebat; unde Theophylactus verba illa: *Ego vox clamantis,* ita exponit: « hoc est: ego sum vox Christi, » quod optime cum illo *Lucæ*, x, 16 convenit, ubi Christus dicit: *Qui vos audit, me audit.* De Baptistæ autem specia- tim S. Paschasius, lib. III in *Math.*, ita scribit: « Quia in eo Dei Sapientia clamare intelligitur, ut « ubique audiatur, et nullus insipientium de igno-

« rancia excusetur. » Porro valde considerabile est illud *Clamantis*; non enim dicit: « Ego vox clama-ns, sed *clamantis*; » ut nobis inueneret vocem ejus, qui verbum Dei annuntiat, sicut et ipsum Dei Verbum a Deo dirigi et regulari debere, ut in auscultantibus illud fructum proferat.

**9.** — Albertus Magnus ita exponit: *Vox clamantis*, id est, a somno peccati homines excitantis. » Rupertus Abbas pariter per hunc clamorem penitentiam, quam peccatoribus annuntiabat, intelligendam esse dicit: « Clamo nunc vobis, parate viam Domini, quia videlicet dico vobis: poenitentiam agite. »

#### In deserto.

**10.** — Porro ratio litteralis, cur S. Joannes in deserto commoratus sit, ibique predicaverit, a S. Thoma, in *Joann.*, hinc verbis traditur. « Ut in deserto manens, immunis esset ab omni peccato, et sic dignior esset Christo testimonium ferre, et ex vita sua testimonium suum, credibilis esset hominibus. » Quanto enim testis irreprensibilior, majorique bonitate et integritate praeditus fuerit, tanto major illi fides et respectus adhibetur. Quoad sensum vero mysticum idem Sanctus per desertum gentilitatem significari dicit, juxta illud *Isaia*, *lv*, 4: *Multa flumina deserta*, etc. « Ut ergo ostenderet, quod doctrina Dei de cetero non deest in Jerusalem tantum, sed in gentibus, clamavit in deserto. » Quamvis, ut idem Angelicus Doctor ait, per desertum Judaismus, quoque intelligi possit: « Per desertum Judaea, quae jam deserta erat, *Matth.*, *xxiii*, 38: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Clamavit ergo in deserto, id est, in Judaea, ut per hoc daretur intelligi, quod populus, cui predicabat, jam desertus erat a Deo. »

#### Dirigite viam Domini.

**11.** — Rupertus Abbas ait: « Et quid clamat? Parate viam Domini: » in via namque est Dominus, « viam vitae praesentis est ingressus, in via nunc est; Ecce tanquam sponsus procedens de thalamo suo: exultavit ut gigas ad curvendam viam. Unde, et quo iturus est? A summo caelo egressio ejus, et occursum ejus usque ad summum ejus; nolite resistere, nolite offendicula ponere. » In hac autem via, per quam Salvator ad nos venit, obices et offendicula ponimus, quando peccata, scandala, et offensas ejus non removemus.

**12.** — Salmoron, *t. IV*, art. 15, dicit, Moyses et Prophetas nos quidem viam Dei, id est, legem ejus docuisse, sed via quaedam longa illa erat: « Nihil ad perfectum adducentes; per eam non intrabat Christus ad animas hominum sanctificandas, ideo opus erat alia via, atque haec quoad interna attinet, poenitentia est, quae fidem includit:

« quantum ad externa, sacramentum baptismi est. »

**13.** — Toletus hunc loquendi modum metaphorice esse dicit, quo dicere voluit, officium ejus esse, ut tanquam Prodromus et Praecursor, populo illi viam ad Messiam prepararet, qua illi occurrere, eumque recipere posset. « Ut enim via recta est brevior, et facilius ad iter peragendum, sic dirigere viam, est, se facilius exheredare ad recipiendum Dominum. » Demum vero in quoniam facilitas illa et dispositio ad Christum recipiendum consistat, exponit, nimirum in exacta divinae legis ipsius adimplentione: « Quod erat, legem ut debuerant, observare, vitia omnia, quae impedi-menta sunt viae, et causa ne venientem reciperent, nec etiam agnoscerent, omnino abjicere. »

**14.** — Albertus Magnus quoque hanc viam rectam, exactam praecursorum observantiam esse scribit: « Via Domini mandata ejus sunt, quae via, sicut dicit Glossa, dirigitur per fidem et opera, per quae ingreditur Christus ad nos, et nos ad ipsum. » Et quidem in hac expositione viae rectae omnes sacri Expositores concorditer conveniunt. Beda ait: « Via Domini ad cor dirigitur, eum ad praecceptum vita praeparatur; unde scriptum est: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Subditque idem Sanctus, quinam incapaces sint, ut Christo occurrere, eumque recipere possint, dum ait: « Quisquis ergo in superbiam mentem elevat, quisquis avaritiae artibus anhelat, quisquis se luxuriae inquinamentis polluit, cordis ostium contra veritatem claudit, et ne ad se Dominus veniat, claustra animi seris vitiorum damnat. » Psalmista quoque in pluribus locis nomine vitae, praeccepta divina intelligit: *Perfice gressus meos in senectute tua, ut non moveantur vestigia mea, deduc me in sentiam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.*

**15.** — Eusebius Emisenus in homilia I de Nativitate S. Joannis ita scribit: « Et nos rectas faciemus semitas Dei nostri, si teneamus in nobis verbum veritatis, affectum justitiae, patientiae, misericordiae, pacis, benevolentiae. Haec est illa via, per quam Christus incedere delectatur. »

**16.** — Dionysius Cartusianus modum quoque hanc viam dirigendi nos docet, dum ait: « Recte et vere exerceat opera bona et sancta, et bona desideria in vobis habeat, per quae Deus ingreditur cor humanum, hoc est, vitiorum obliquitates fugite, vos ipsos ad gratiam praeparate, atque ad Christi praedicationem et fidem mentes vestras disponite. »

**17.** — Porro per viam tritam et regiam, praecursorum observantia denotatur, al vero per semitam consilia Evangelica ad perfectionem tendentia. Et ideo illis verbis non solum nobis, ut per divino-

rum praecursorum viam gradiamur, nos hortatur, verum etiam conciliorum Evangelicorum executionem tentandam esse suadet.

**18.** — S. Thomas, in *Joan.*, dicit: « Via autem ad recipiendum Deum parata et recta via justitiae, secundum illud *Isaia*, *xxvi*, 7: *Semita justae recta est*, etc., tunc enim semita justae est recta, quando homo totus subjicitur Deo, scilicet intellectus per fidem, voluntas per amorem, operatio per obedientiam Deo subduntur. »

**19.** — S. Gregorius a S. Thoma, in *Catena* citatus, dicit: « Via Domini ad cor dirigitur, cum veritate latis sermo humiliter auditur. Via Domini ad cor dirigitur, cum ad praecceptum via praeparatur. »

**20.** — Regius Propheta David olim a Deo postulabat, *Ps.*, *v*, 9, dicens: *Dirige in conspectu tuo viam meam*. Verum intentam suam quoad corporalem Dei praesentiam asequi minime potuit, quia humanitate sua mediante nondum visibilis factus fuerat, ad vero postquam S. Joannes nobis eum digito monstravit, dicens: *Ecce Agnus Dei*, etc., simul quoque modum nos docuit, qualiter in occursum Redemptoris vias dirigere debeamus, ut divina ejus praesentia, quam in sanctissimo Eucharistiae sacramento reliquit, fructuose perfruamus.

#### Additiones.

**a.** — *Ego vox clamantis in deserto*, etc. In tanta aestimatione erat Joannes, ut nihil aliud opinarentur Judaei nisi quod esset Christus, Elias vel magnus Propheta. Cui aestimationi conformiter respondere potuisset Joannes, multisque sese titulis nominare, scilicet, quod esset filius Zachariae, Doctor, Praeco, ac Praecursor Christi. His tamen omnibus speciosis titulis, quibus maximam sibi auctoritatem conciliare potuisset, praetermissis, de se tantum publicè ac divulgat, quod sit vox; ita ut neque prophetalis auctoritas, neque angelica sanctitas in eo attendenda esset; sed hoc unum, quod esset Dei vox, seu quod Dei voce loqueretur, existimans hanc excellentiam ceteras omnes antecellere. Nobilissimum enim et sublimissimum in Ecclesia Dei est ministerium, Evangelica praedicatione. Ipsemet Christus Magister noster, ministris suis, Evangelicis apertis verbis dixit: *Qui vos audit me audit*, quibus verbis vocem suam et vocem praedicatorum, pari et aequo digno loco reponit. Porro in quanta apud Deum aestimatione sint illi qui hunc animarum operam suam addicunt, S. Chrysostomus, *Hon. de Doctr.*, his verbis declarat: « Si quando lapsos errore fratres videris, correctionem eorum velut thesaurum inventum reputes. *Qui enim separat pretiosum a cili, tanquam os meum erit*, ait *Jeremias*, *xv*, 19. » Et quidnam cum ista re conferri poterit? S. Bonaventura, in *Lucan.*, scribit: « Est magna auctoritas praedicatorum, in quorum receptione Deus recipitur, et contemptu, contemnitur. Ipsi

« enim sunt os Domini, verba ejus annuntiando; » et ideo tanquam os Dei pasci debent et honorari. »

**b.** — Judaei moti sunt ut quaererent a Joanne an esset Christus, Elias vel Propheta, ob novum ritum, ac caeremoniam, quam baptisando, in orbem introducebat. Unde subjungunt: Si non es Christus, aequè Elias, neque Propheta, quare baptizas? Si quaererent ab eo quare praedicebat, congruere videretur responso Joannis: *Ego vox*. At dum moverentur ad interrogationem ob baptismum quem conferebat, quo pacto de se dicit, quod sit vox? Nihil aliud ad praesens dici poterat. Vera enim vox, non solum ore tonat, sed etiam opera comitantur. « Joannes, » ut ait S. Chrysologus, *Serm.*, *xvii*, « Doctor dicto et facto. » Tunc enim vox Concionatoris caecidit in laudem Dei et mirifice proficit, quando in manibus sua adsunt opera. Praecursor Christi jam faciebat quod ipse facturus erat Dominus, de quo legitur, *Matth.*, *xxiii*, 2: *Erat docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribae eorum et Pharisei*. Hi enim bonam quidem annuntiabant doctrinam, Christo Jesu ipso dicente: *Quaecumque dixerint vobis, servate et facite*; omnino vero contrarium illi quod docuerunt, faciebant: *Secundum opera eorum nolite facere*. Christus vero cum auctoritate et sicut potestatem habens praedicebat, quia quod dicebat veritas, operibus confirmabat. *Capit. Jesus facere et docere*. S. Gregorius Magnus verba illa S. Pauli ad *Tim.*, *i*, *iv*, 11: *Praecepta haec et docere cum omni imperio*, in favorem nostram ita explicat: « Non dominationem potentiae, sed auctoritatem « suadet vitae. Cum imperio quippe docetur quod prius agitur quam dicatur; nam doctrina subtrahit fiduciam, quando conscientia praepedit linguam. Non ergo ei potestatem elata locutionis, sed bonae fidei insinavit actionis. » Moxque subdit: « Unde etiam de Domino scriptum est: « Erat enim docens, sicut potestatem habens, non sicut Scribae et Pharisei: singulariter namque ac principaliter, solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate mala non commisit. » S. Isidorus Pelusiota quondam cuidam viro facundo quidem et docto, sed improbo, in haec verba scripsit: « Frater quidem tuus ob mores in admiratione est, tu ob sermonem. Ille ob animi integritatem; tu ob lingue faecundiam. Ille ob morum moderationem; tu ob verborum fastum ac tumorem. Ille « ut fructu satens; tu ut foliis abundantans. » S. Gregorius, *Cur. Pastor.* dicit: « Praedicator quisque plus actibus quam vocibus insonet, et bene vivendi vestigia sequacibus imprimat, ut potius agendo, quam loquendo, quo gradiantur, ostendat. »

**c.** — Magnum certe munus hic sese obire faletur Praecursor Domini dum Judaeis interrogantibus, respondit: *Ego vox clamantis in deserto*. Sed quomodo cum tali dignitate stare potest, quod se

indignum reputat, ut solvat corrigiam calcementi Christi. Divinus Baptista, quamvis ad tantam dignitatis apicem esset erectus, tamen propriae vilitatis non esset oblitus. Honore intellectum ejus non excavaverunt, neque naturam et mores, in diversa commutarunt.

**d.** — Paterat Joannes se de multis titulis coonestare, sed omnibus prætermisiss, tantum de se ait: *Ego sum eorum*; ita ut neque sacerdotalis dignitas, neque prophetalis auctoritas, neque angelica sanctitas in eo attendenda esset, sed hoc unum, quod esset Dei vox, in emendandis moribus et extirpandis vitiis, juxta omnem officii exigentiam possibilem adhibens conatum, utpote in negotio difficillimo et præstantissimo. S. Dionysius Areopagita, de *Cæles. hierar.*, ait: « Omnium divinarum divinisima extat « perfectio, Dei cooperatores esse in salute anima- « rum ad suum Creatorem. » Ac proinde Redemptor noster animarum conversionem tanti facit, ut huic operi summam suam attribuat gloriam: *Dabo in Sion salubrem, et in Jerusalem gloriam meam*, inquit olim per os Prophetæ Evangelici, *Isa.*, *xvii*, *13*. Hæc autem salus et pariter gloria ejus in nulla re alia consistit, quam in venia et remissione peccatorum, per quam justificantur et sanctificantur animæ. S. Joannes Climacus ait: « Nullum Deo « munus a nobis gratius offerri potest, atque cum « animas illi ad penitentiam deductas consecra- « mus. »

**e.** — Optime dicitur Joannes, *vos clamantis in deserto*, per quod desertum mystice intelligi potest anima, ob peccatum, a gratia Dei deserta; in quo deserto, maxime necessarius est clamor invitans ad respiciendum.

**f.** — Clementissimus Deus, cujus opus misericordia, cujus voluntas potentia est, omnia quæcumque secundum divinam Providentiæ suæ leges facta sunt, in pondere et mensura ordinavit: Sic factum est ut quemadmodum Christus ante primum suum adventum in mundum, voluit præmittere Præcursores suum Joannem, qui mundum innumeris vitiis irretitum disponeret ad recipiendum Salvatorem, ablueret a vitiis, et prædicaret penitentiam; ita ante secundum Adventum, qui in judicio cujusque universali fiet, præmittet aliquos præcursores Enoch et Eliam. Sed, nunquid etiam ante suum Adventum qui in judicio cujusque particulari fit, præmittit præcursores aliquem, qui viam Domino præparet, et homines ad venturum judicem disponat? Imo vero. Et quis est hic præcursor? Mors quæ judicium illud præcedit. Ut enim Baptiste dictum ab ejus patre: *Præbitis ante faciem Domini, parare vias ejus*, ita de morte dicit *Habacuc*, *iii*, *5*: *Ante faciem ejus ibi mors*. Clamabat Joannes: *Dirigite viam Domini*; clamat hoc idem mors; nam vita humana mortis vicinissima est, nullum præter respirationem habens falcerum aut subsidium. Legitur in Psalmo *ciii*, *29*:

*Auferes spiritum eorum et deficient, et in pulverem suum revertentur*. Supremi namque artificis sapientia et providentia nos suis plasnavit manibus, dicente Scriptura: *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu*, *Job.*, *x*, *8*. Ast quævit vitam nobis impertit? *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem*. Voluit itaque Deus ut homo per flatum vitam hauriret; et nexus animæ et corpus conjungens, quæ in unione vitæ consistit, nihil est præterquam flatus unicus. Quamobrem, *S. Job.*, *xvii*, *1*, ingemisebat, dicens: *Spiritus meus attenuabitur, solum mihi superest sepulchrum*.

S. Mater Ecclesia in die Cinerum, fideles cineribus conspergens, dicit: *Pulvis es, in tempore presentis; non vero dicit: Pulvis eris*; quia tametsi oculus noster corpus nostrum carnem esse videat, quamprimum tamen respirare desinimus, mox caro illa in pulverem subito resolvitur.

Ex hac mortis continua vicinia sequitur necessitas indilate ad eam preparationis. *Et vos estote parati*, dicit Dominus, *Luc.*, *xii*, *40*. Inter alia infortunia a quibus in Litanis liberari petimus, unum est subitanea et improvisa mors. Unde dicimus: « A subitanea et improvisa morte, liberam nos Domine. » Observandum vero est quod Ecclesia simul conjungat illa duo: *subitanea et improvisa*, quia mors repentina nullis sæpe utilis est, cum per illam liberentur agonie doloribus, nec non a ferocibus spirituum malignorum, quos in mortis articulo tentare solent, insultibus. Verumtamen hæc mortis repentine utilitas tunc solum locum habet quando mors illum non ex improviso invadit, sed jamdudum ab eo prævisa et præmeditata fuit.

Ammon Abbas interrogatus, quid faciendum quæ salutem æternam securam sibi facere possit respondit: « Vade et talem fac cogitationem tuam, sicut faciunt iniqui, qui sunt in carcere. Illi enim interrogant homines: Ubi est Judex? et quando veniet? Et in ipsa expectatione penarum suarum plorant. Si igitur semper id meditatus fueris: « Vae mihi, quomodo habeo ad stare ante tribunal Christi? Et quomodo habeo ei rationem reddere æculum meorum? poteris salvus esse. »

**g.** — Joannes vox erat, quia tunc quod in eo apparebat, vox erat: oculi, manus, vestis, cibus, modus vivendi, et quicquid in eo erat clamabat per bonum exemplum quod præbebat, ac proinde vox ejus ad persuadendum erat efficacissima. Si enim boni illius quod persuadere volumus aliquid in nobis præmittamus exemplum auditori illud facilius persuadere et imprimere poterimus. Increata Sapientia, postquam in terram descendisset, ut hominem doceret, prius per triginta annorum decursum operari voluit, et tandem ultimos tres annos, eruditioni hominum impendit; id quod hisce verbis *Act. Apost. I*, insinuat: *Cœpit Jesus facere, ut scilicet*

## VERSUS 24.

*Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.*

nos instrueret, quod potius facere quam dicere debeamus, si efficaciter persuadere velimus. « Pen- « sandus est ordo verborum, » inquit Dionysius Carthusianus, « in eo quod scriptum est: *Cœpit « Jesus facere et docere*, ita quod primo exorsus est « operari, deinde quod fecit et docuit. » Nihilominus Chrysostomus observat quod licet Filius Dei diuturnum servaverit silentium, nihilominus per exemplarem adeo sanctamque vitam, efficaciter prædicabat.

Religio Franciscana, per Providentiam divinam a Patriarcha Seraphico in Ecclesia ideo instituta fuit, ut apostolicum in mundo spiritum renovaret. Sed audiatis velim maxime essentialia, quod S. Fundator suis, in hæc verba, præscripsit documentum: « Consideremus, fratres, vocationem nostram, quæ « vocavit nos miserios Deus, non tantum pro « nostra, sed etiam pro multorum salute, ut eamus « per mundum, exhortando omnes plus exemplo « quam verbo. » S. Chrysostomus de hæc materia tractans, *Hom. viii in Genes.*, asserit, quod delictientibus verbis, bonum exemplum illorum vicem suppleat: « Præcedente opere, etiamsi non sequatur « doctrina, sufficienti opere ipsa, magis quam ulla « vox, ad docendum eos qui in nos respiciunt. »

**h.** — Quædam in his verbis: *Ego vox clamantis in deserto*, videtur adesse contradictio: nam quomodo tam altum et sublime de se prædicat officium prædicatoris, et mox se indignum reputat ut solvat calcementa in pedibus Salvatoris? Divinus Baptista, quamvis ad tantum dignitatis apicem esset erectus et in tam sublimi munere collocatus, tamen propriæ humilitatis agnitionem non perdidit, et ita fatetur id ad quod illum divina gratia extulit, nempe, ut esset vox Dei, et etiam illud quod existimabat ex propriis meritis sibi esse condignum, ut scilicet non esset sufficiens ad solvenda calcementa Christi. In nullo enim fastigio dignitatis cognitio propriæ vilitatis perdenda est. Hoc enim, vera requirit et exigit humilitas. S. Thomas de Villanova dicit: « Radix et « origo humilitatis est cognitio sui; radix superbiæ « ignorantia sui. Ignorat se penitus omnis superbus, « nam si sciret quis esset, non utique superbi-ret. » Ideoque S. Laurentius Justinianus, ad conservandam humilitatem, suis ipsius cognitionem adeo necessariam esse docuit, quanto ad vitam requiritur cibus, ad navigationem navis, et lux ad discernendos colores. Dicit autem S. Bernardinus: Tria sunt quæ radicem nutriunt humilitatem: assiduitas subjectionis, consideratio propriæ fragilitatis, et comparatio melioris. Si primum Lucifer habuisset non de cælo ruisset; si Adam secundum habuisset non de paradiso ejectus esset; si Antichristus tertium haberet, non se Deo præferret.

**1.** — Salmeron dicit Evangelistam nobis hisce verbis indicare voluisse quales hi legati fuerint, quia tametsi illos Sacerdotes et Levitas esse dixerit, per hoc tamen non exclusit, quin Pharisæi quoque esse potuerint: « Poterant simul esse religione sectaque « Pharisæi, quemadmodum modo apud nos multi « religiosi sunt sacerdotes. » Voluit quoque Evangelista illis verbis insinuare nobis, illos superbos, et erga Præcursores invidios fuisse. « Quem tantus « populus Pharisæi relictis, et acri oratione ab eo « objugatis sequebatur, ito illi minime in Joannem « nem credabant, et animo calumniandi venerant; » quamvis concilii proceres, a quibus missi fuerant, non a passione, sed fine recto et æquo ad hanc legationem instituendam motos fuisse concedat. Rupertus Abbas, in *Joann.*, quodque sinistram horum Pharisæorum intentionem subindicat, dum ait: « Ex Pharisæis, videlicet, ex iis, qui non Dei, sed « suam querebant gloriam » alii quoque expositores eosdem a malignitate notant. Nam Hymo ait: « Pharisæi Doctores legis invadebant Joanni, quia « videbant se a populo dereliqui, et prædicatio- « nem Joannis sequi. »

**2.** — Lucas Brugenis dicit: « Sacerdotes et Levitæ « erant dignitate atque officio, secta autem Phari- « sæi, » idque nobis Evangelistam insinuare voluisse dicit, dum legatos ex Pharisæis fuisse notat, « ut mitigaret arrogans illud responsum, quod « sequitur temere carpentium viri sancti gesta, « quasi dicat: Nihil mirum, Pharisæi fuerunt. » S. Thomas vero multorum opinionem refert, qui illos diversos fuisse existimant a primis legatis, qui missi fuerant, ut interrogarent: *Tu quis es?* eruduntque Pharisæos postea supervenisse, ut eum propter baptismum, quem conferebat, reprehenderent. Origenes de primis ita scribit: « Cum didi- « cissent quis esset, vel non esset, decentissime « quiescant; veluti silentio faventes, et demon- « strantes se admittere que audissent, quod bapti- « zare conveniat voci clamantis in deserto, ad « dirigendam viam Domini; contra vero Pharisæi « [ut, qui] juxta nomen suum divisi quidam et sedi- « tiosi essent] se eadem non sentire demonstrant, « cum Judæis existentibus in urbe Metropolis, et « cum ministris cultus divini. » Motivum autem illorum paulo ante insinuat, nempe invidia. Unde Albertus Magnus ait: « Egregius quidem in « Scripture scientia, sed calumniosus esse invidia; » ideoque S. Joannem censuram non dubitantes, causam ab eo administrati Baptismi sciscitantur: « Illi « doctrinam de suis actibus requirunt » inquit Al- « cimus, « qui doctrinam nesciunt querere, sed « invidere. » Toletus vero e contra eosdem fuisse censet, eisque minime commissum fuisse autu-

mat, ut eum de Baptismo interrogarent, sed tantum ut, num Messias esset, ab eo ediscerent. « At quia, qui missi sunt, erant ex Pharisæis legis zelum præ se ferentes, se aliis omnibus in legis observantia anteponebant, nec quicquam contra legem ferri permittentes, non ut legati, sed ut « superstitiosi interrogant quæ sequuntur. » Et quidem prima facie eos zelo moveri videri posset, revera tamen passio et invidia unicum illorum motivum erat. Unde Glossa ait : « Doctrinam non querunt, sed invident. » Et Beda, a Luca Brugensi citatus, dicit : « Studio reprehendendi, non cognoscendæ veritatis. »

## VERSUS 25.

*Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei : Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?*

1. — Ammonius Alexandrinus, in *Catena Græca*, traditionem inter Hebræos fuisse dicit, quod Baptismum solus Messias collaturus esset.

2. — Observandum quoque est, Pharisæos hanc interrogationem non proposuisse Joanni, inquit Doctor Angelicus, in *Joann.*, ut ab eo baptismi sui mysterium ediscerent, sed ut eum reprehenderent, et ab ulteriori baptismi exercitio impedirent : « Non querunt ut sciant, sed ut impediant; » videbant enim quod ex omnibus locis ingens quædam populi multitudo, ab hoc novo ritu attracta, ad Joannem accurreret, ac proinde invidia stimulari, eidem se opponere satagebant : « Confinere non valentes suam manifestam invidiam, dicunt : Quid ergo baptizas? quasi dicant : Non debes baptizare, ex quo negas te esse aliquem illorum trium, in quibus præfiguratus est baptismus : si tu non es Christus, qui habiturus est fontem in ablutionem peccati, et si non es Elias, neque Propheta Elias, qui sicco vestigio Jordanem transierunt. » Cajetanus notat, sacrum textum non sine mysterio subjungere, hos ex Pharisæorum secta fuisse, ut exinde cognosceremus, illos ex propria indole sectæ adversus Joannem malignatos fuisse, non vero ex eorum, qui eos miserant, voluntate aut commissione : « Non ex commissione mittentium, sed ex proprio sensu subjunctam interrogationem fecerunt, commissum enim erat eis, ut interrogarent eum : Tu quis es? et non ut arguerent eum de baptismo. » Theophylactus notat, eos primo conatos fuisse, ut, si possibile eis foret, eum seducerent; at vero, cum id irritò eventu tentassent, tandem ad reprehensionem illius descendisse : « Postquam per adulationem non potuerunt eum ad suas partes trahere, atrocibus et minacibus verbis terrent, ut dicent, quod volebant, et confiteretur se esse Christum. »

3. — S. Thomas Pharisæis hisce illos assimilat,

qui spiritualis animarum profectui sese opponunt : « Similes istis sunt invidi, animarum profectum « impediendes, qui dicunt videntibus, nolite videre. »

4. — S. Gregorius, in *Catena*, stabilitatem S. Joannis hisce verbis admiratur. « Cum perversa « mente requiritur, a bonitatis suæ studio non « mutatur, sed verbis invidia, prædicamenta re- « spondit vite. »

## VERSUS 26.

*Respondit eis Joannes dicens : Ego baptizo in aqua ; medius autem vestrum stetit, quem eos nescitis.*

*Ego baptizo in aqua.*

1. — « Hoc est, corpus ablui, » inquit Albertus Magnus, qui Glossam quamdam citat, dicentem : « Ne imputetur, quod ago, audacia, quia corpora « ablui aqua, non autem fero peccata. » Dionysius Carthusianus eodem modo responsum istam explicat : « *Ego baptizo in aqua*, id est, est, corpore « lavo corpora vestra, non intus purgo a culpa, nec « gratiam presto. » S. Thomas, in *Joann.*, ait : « Quasi dicat : Non debetis mirari, si ego, qui non « sum Christus, nec Elias, nec Propheta, baptizo ; « quia baptismus meus non est completivus, sed « imperfectus ; nam ad perfectionem baptismi exi- « gitur lotio corporis et animæ, et corpus quidem « secundum naturam lavatur aqua, anima vero non « nisi spiritu. *Ego baptizo in aqua*, id est, corpore « lavo corpus, venit autem alius, qui perfecte « baptizabit scilicet in aqua et Spiritu Sancto. »

2. — Toletus scribit, S. Joannem justificare se voluisse, dicendo, quod baptizet tanquam Præcursor Messias, inter ipsos presentis, tamen ipsi eum non cognoscebant : « Ac si dixisset : Recte cogitatis « baptismum futurum tempore Christi, et ad eum, « et ejus Præcursorem tantum pertinere, sed non « est quod me accusetis, quia si baptizo, Christus « jam adest, et hunc ego præcurro, et ostendo « vobis. » Porro lavacrum istud, quod Baptista ministrabat, a lege quidem ordinatum non erat, hene tamen ab aliquo, qui lege superior sit, id est, per instinctum, impulsus, et speciale Dei præceptum ; unde Salvator noster, prout Toletus, in cap. xxi, 25, *Matthæi*, advertit, Hebræis sapientibus questionem quamdam proponit : « *Interrogabo « vos et ego unum sermoneum : Baptismus Joannis unde « erit? et celo? an ex hominibus?* Non dixit : an ex « lege, » inquit Toletus, « quia certa res erat non « esse secundum legem, sed ex particulari Dei « mandato. »

3. — In hac quoque responsione S. Joannis humilitas et modestia mire relucet, quia cum se excusare posset dicendo, Filium Dei hoc baptismi mi-

sterium sibi præcepisse, siquidem ut S. Bonaventura ait : « Erat in preparationem ab baptismum « Christi, non in remedium; » nihilominus respon- sionem in suum favorem retorquere noluit, ad denotandum, quod virtus anima, Redemptorem suum invitari volentis, consistit in eo, quod injurias minime graviter ferat : *Cum malediceretur, non maledicebat*. Lucas Brugensis ait : « Arrogantibus « modeste simul et apposite respondet. » S. Cyrillus dicit : « Equo animo fert increpantes, » nimirum dignum se ejus Præcursorem probare voluit; de quo, Isaias, xlii, 1, 3, vaticinatus fuerat : *Nec audietur vox ejus foris, calamus quassatum non conteret, et livæ fumigans non extinguetur.*

*Medius autem vestrum stetit.*

4. — Salmeron verbum *stetit*, in tempore præ- senti intelligendum esse dicit, ut idem sit, quod *stat*; citatque auctoritatem S. Cypriani et S. Ambrosii idem dicentium. Quod Toletus quoque confirmat, citans insuper S. Hieronymum. Nimirum ad illum textum Deuteronom., xviii, 18, alludebat, ubi Hebræus legislator Messiam adventum in spiritu prophætico prævidens, ex ore ipsiusmet Dei dicit : *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui*. Vere admirabilis est illa, nunquam errans Dei providentia, que per infinitæ sapientiæ suæ prodromos bona et malis elicere novit; siquidem ex malignitate et invidia Pharisæica, clarissimum et manifestissimum adventus; imo præsentis suæ personalis testimonium deducit; accidit enim quod legati cum hac responsione Ierosolymam redeuntes, coram summis Sacerdotibus, et principibus synagoga, ex ore adeo veridico viri cujusdam in hac occasione tanloquere estimati : Messiam jam de facto venisse annuntiarent. Quæ occasio opportunior esse nequaquam poterat : *Sermo opportunus est optimus*, Pr. xv, 23; siquidem Præcursor, ut huic tam violentæ apud se factæ instantiæ responderet, ad hanc veritatem manifestandam rogatus, imo coactus fuit. Unde Albertus Magnus ait : « Ecce temporis « opportunitas, non enim levitate verborum et « animi ultro testificatus est, sed in tempore requi- « sitionis, quando utile fuit. »

5. — Quoad sensum litteralem, hisce verbis dicere voluit, quod Messias ab illis quaesitus, publice inter illos conversaretur : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est*. Bar., iii, 3; quasi diceret, ut Lucas Brugensis ait : « Conversatur vobiscum, « habitat inter vos, intrat et exit, ut alia Scriptura « loquitur, agi vobiscum jam ab annis pluribus. » Toletus ait : « Conversatur vobiscum ut unus ex « vobis; non est in abscondito; » citatque illum Isaiæ textum, xii, 6 : *Magnus in medio tui sanctus Israel*. Salmeron Joannem ad communem vitam alludere voluisse dicit, quam Joannes ducebat : « Dicitur medius inter Judæos, quod communem

« vitam ageret Deus et homo. » Euthymius Chris- tum se velut personam popularem et vilem, medias inter turbas miscuisse dicit, ut predicationem S. Joannes auscultaret : « Eo enim tempore Christus « immixtus erat populo, nam quasi unus e vulgo « veniebat ad baptismum, quod divina revelatio « Joanni innoterat. »

6. — In sensu vero mystico, inquit Salmeron : « Medius Dei et hominum mediator, in medio « Ecclesie existens, secundum deitatem in medio « est divinarum; medius etiam, quia sæpe veniebat « ad audiendum Joannem inter alios. » Albertus Magnus ait : « Quia medius inter Deum et homines; « vel medius, quia se omnibus prope positus et « propinquus exhibet ad usum. »

7. — Verum enimvero populus Christianus præcunctis aliis hominibus gravisus est specialissimo hoc privilegio stabiliter ad finem usque sæculorum Filii Dei in Eucharistiæ Sacramento existentis præsentia perfruenti : *Ece ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*, Matt., xviii, 20, quod longe plus est, quam dicere, *medius stetit*; neque enim dari potest unio, quæ illa major existat, *Medius nostrum stat*, cum tanta sui communicatione, ob id expresse communio appellatur : *Qui manducant meam carnem, et bibunt meum sanguinem, in me manent, et ego in illo*, Joann., v, 71, et ideo anima, que cum dispositione debita ad divinum hanc panem accedit, cum Apostolo, Gal., ii, 20, jure merito dicere potest : *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus*. S. Bernardus de natura et dignitate divini amoris tractans, ita scribit : « Manducatur et bibit corpus et « sanguinem Redemptoris sui, manna celeste, « panem sapientiæ, et manducans transformatur in « naturam cibi, quem manducavit; corpus enim « Christi manducare, nihil aliud est, quam corpus « Christi effici. » S. Thomas, qui præ quovis alio erga Angelicum hanc panem devotissimus fuit, deque eodem altissime scribit, in quodam opusculo suo, quod hanc unionem atinet, hæc verba habet. « Cum datur in cibum, non datur ad separationem « aliquam, sed ad omnimodam unionem : uniuert « enim in unitate corporis, cibus et sumens. » Sanctus Dionysius Areopagita communioni sacramentali ingeniosum quoddam epithetum attribuit; dum illam *spiritualem isitionem* appellat; insitio enim efficit ut arbor illa, cui altera inseritur, communicet naturam et fructus arboris insertæ, id quod in sacra communione pariter accidit. Si igitur huic sacratissime inferam viti, divinorum particeps efficiemur. Ecclesia dicit : « Deus, qui nos per « hujus sacrificii veneranda commercia, unius « summe divinitatis participas effecisti. » Enimvero Salvatoris monitum est, ut ad imitationem Patris nostri, qui in oculis est, perfecti esse studeamus : *Estote perfecti, sicut et Pater vester celestis perfectus est*, Math., v, 48; et quidem prima facie

videri posset admodum difficile, imo impossibile esse, ut consilium istud exequamur, aut in praxim redigamus : ex alia vero parte nequaquam est credibile, quod Salvator noster nos ad aliquod conandum hortetur et invitet, quod virtute et capacitate nostra superius sit, canque transcendat. Quoniam igitur modo ad tam sublime sanctitatis et perfectionis fastigium pertingere quis poterit? Modus hic facilissimus est, hoc enim assequemur, si nos pane hoc Eucharistico, qui Filius Dei est, nutriamus, si enim revera ita est, uti est verissimum, quod qui hunc divinum panem manducat, num et idem cum ipso fiat : *In me manet, et ego in illo; qui manducat me, et ipse vivet propter me*; per necessariam inde consequentiam deducitur, quod efficaciam quoque perfecti, sicut Pater ejus celestis, quia anima talis vere dicere potest, quo Christum vere in se habeat, *vivit in me Christus*, qui cum Patre æqualiter perfectus est, utpote secunda sacrosanctæ illius Triadis persona. *Verbum caro factum est*, inquit S. Joannes, *et habitavit in nobis*; non dicit : *Inter nos*, vel *Nobiscum*, quoad conversationem externam; vel *Nobiscum*, quoad conversationem internam; sed *in nobis* per unionem sacramentalem, quæ a sanctis Patribus « Extensio Incarnationis » appellatur. *Membra sumus corporis ejus*, inquit sanctus Apostolus ad Ephesios, v, 30, *de carne ejus, et de ossibus ejus*; « ut non tantum, » ut ait Chrysostomus, « per charitatem hoc flammus, » verum et ipsa re in illam miscemur carnem. » S. Hilarius, lib. VIII, de Trin., postquam veritatem corporis et sanguinis Redemptoris in Eucharistia multis argumentis ostendisset, de eadem sacrosancta carne et sanguine demum subjungit, dicens : « Hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit; est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo, dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est : quod autem in nobis naturalis hæc unitas sit, ita ipse testatus est : qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in illo. » S. Cyrillus Hierosolymitanus illos, qui communicant, consanguineos Christi appellat : « Concorporei, et ut ita dicam, consanguinei Christi facti estis. » Et paulo post subjungit, quod Christum intra nos portemus : « Efficiemur Christifera, hoc est, Christum in corpore nostris ferentes, cum corpus ejus et sanguinem in membra nostra recipimus » impleturque in nobis quod Petrus ait : *Divinæ consortes facti naturæ.*

*Quem vos nescitis.*

8. — Hæc presentia et unio corporis Christi cum anima et corpore nostro, fortiter nos obligat, ut erga tantum thesaurum, summam reverentiam, devotionem, et gratitudinem exhibeamus : *Neque enim est, aut fuit aliquando tam grandis natio, qua*

*habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster*, dicebat olim populus Hebræorum, *Deut.*, iv, 7, cum tamen revera et in substantia actualis illa Dei in populo suo presentia, nihil aliud fuerit, quam Dei in ligno seu arca assistentia, qua nullam cum Sacramento corporis Christi habet proportionem; et tamen ad infinitum hoc beneficium tam parum nos reflectimus, nosque adeo frigide gratos exhibemus. Quod si forte dixeris, divinitatem sub accidentium Eucharisticorum velo occultam delitescere, et absconditam, ideoque jure merito dicere nos posse : *Nescimus*. Respondeo, quod fides ad divinitatem illam, sub velo illo conspicendam, lynceos oculos habere debeat; imo divinitatem in hoc Sacramento reconditam non videri, beneficium pariter, et gratitudinis obligationem in nobis adauget, quia, ut B. Laurentius Justinianus dicit : « Prudentissimo igitur Dei Verbum usum fuisse oculis perspicue claret, ut se corporaliter daret hominibus, et tamen accidentibus velatum, quantum ex presentia nocenter charitas, et per experimentum visibilis formæ, humana ad ipsum accedere valeret infirmitas. »

9. — Verum quidem est, quod Deus pro cunctis beneficiis suis debitam a nobis gratitudinem exposcat, specialissime tamen pro eo, quod in Eucharistia accipimus, gratos nos esse desiderat, et ideo illud, ut Chrysostomus, *Hom. xxvi in Matth.*, notat, « Eucharistiam, hoc est, gratiarum actionem nunquam cupat; » voluit enim, ut ipsumentum tanti Sacramenti donum, hoc gratiarum actionis nomen secum subinferat, ut nostram gratitudinem et recognitionem tanto magis in nobis exerceat. Quando sanctissimum hoc Sacramentum instituit, prout in Canone Missæ quotidie recitatur, primo omnium æterno Patri suo gratias egit : *Accepti panem, et gratias agens benedixit*. David quoque, quando mentem suam per spiritum propheticum in sacrum hunc calicem delixit, de eoque loqui incepit, antequam illius mentionem faceret, primo gratias egit, sicut et immediate post idem fecit, dicendo : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo, vota mea Domino reddam. Ps. cxv. 12, 13.*

10. — Quod si Christus apud S. Mattheum ei, qui in ejus nomine calicem aquæ frigidae pauperi porrigit, æternam se retributionem datum esse promisit, quanto magis erga Deum per debitum gratiarum et laudum tributum, gratia mente recollere debemus, quod de inestimabili sanguinis sui calice, et sacratissimo corpore suo nobis, qui pauperes et celestium bonorum egeni sumus, tam liberaliter et munifice prospexerit : *Edent pauperes et saturabuntur*, inquit David, *Ps. xxi, 27*, cum hoc tamen onere : *Laudabunt Dominum, et requirunt eum*; sive *remiscentur*. Vere non est hic calix aquæ frigide, quia teste Concilio Tridentino, in hoc

Sacramento *divitias gloriæ suæ effudit*; unde S. Bernardus ait : « Non est hic calix aquæ frigide, sed calix inebrians, quam præclarus. »

11. — Nulla Deo cura fuit, ut in arca virga Moysis conservaretur, quæ tot portenta patraverat, populumque Dei a dura Egypti servitute in libertatem asservierat, neque ut in ea asserviret aqua, quæ tot annis e duro silice seu petra scaturierat, vel conturnices, quas de celo depluerat, sed solum manna asservari voluit, quod hujus panis Angelorum symbolum erat, ut ostendat, quantum sibi curæ sit, ut beneficium hujus et doni infiniti nunquam non memores simus; nam tametsi alias idem manna ex una tantum die in alteram conservatum putrefieri consueverit, illud tamen in arca prædicta per secula illesum manere voluit, ut nostram in nobis gratitudinem continuo excitaret (*omnia in figura contingebant illis*) quasi dicere vellet: Tametsi omnium bonorum, quæ a pia Dei dextra accepistis, memoriam amiseritis, hujus tamen beneficii jugis memoria deponenda nunquam erit; atque ideo quovis tempore et in omni loco ad finem usque sæculi publice vult esse hoc Sacramentum omnium oculis expositum : *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, Matth., xxvii, 20*. Adhæc sancta Mater Ecclesia non sine peculiari mysterio, priusquam divinum hunc panem consecret, nos in Præfatione ad gratiarum actionem invitat per sacerdotem dicentem : « Gratias agamus Domino Deo nostro, » respondetque per ministrum : « Dignum et justum est; » cui demum Celebrans replicat : « Vere dignum et justum est, æquum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, etc. » ideo quoque Apostolus de sacrosancto Christi corpore in nobis recepto, loquens, *Cor., vi, 20*, prius dicit : *Glorificatio*, et postea subjungit : *Et portate Deum in corpore vestro*. Vultisne signum aliquod evidens unde post sumptam communionem sacram, Christi in anima nostra presentiam clare agnoscere possimus? Audite id ipsum ab ipsomet Christo, qui dicit, *Joan., vi, 57*: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo*; in quibus verbis illa præcipue notanda sunt : *In me manet*; illis namque insinuat, quod, si nos post sumptam communionem totaliter in Deum absorpti, devotissime meditationibus intenti, tanti hospitii majestatem, tanti doni singularitatem, infinitumque tanti thesauri, quem in cordis nostri ærarium reclusimus, valorem meditantés steterimus, simulque eodem tempore per humilitatis, reverentiae et gratitudinis affectus nos ei obsequiosos exhibuerimus, clarum id signum futurum sit, unde agnoscere possumus, quod Deus quoque ad beneficiendum nobis intentus sit, stabiliterque in anima nostra permaneat. *Et ego in eo*. Unde sanctus August., *tract. 17. in Joann.*, scribit : « Signum quia manducat et bibit, hoc est, si

« manet et manetur, et habitat et inhabitatur, si « heret ut non deserat, » adeo ut vero nobis dici possit : *Medius vestrum stat, quem vos nescitis*; secus enim si fiat, manifestum signum est, quod corporaliter tantum in nobis sit, non vero spiritualiter.

12. — Rupertus Abbas in *Joan.* super illa verba : *Quem vos nescitis*, ita scribit : « Quem scire expedit, « quem querere oportet, quem invenisse prodest, « in quem credere salus est. »

13. — Lucas Brugensis S. Joannem dicere voluisse existimat, quod tametsi tanto tempore cum ipsis conversatus fuerit, ipsi tamen eum nondum, quis vel qualis sit, agnovissent : « Vos adhuc nescitis, « nondum novistis quis sit; facie vidisse poluistis, « sed nescitis quia dignitatis et conditionis sit, « gerit enim adhuc se ut plebeium et humilem, « nondum ei visum est, seipsum manifestare, et « vim æe magnitudinem suam exserere; » id quod Baptista dicit, priusquam Christus se per miracula, et discipulorum suum sequelam manifestaret : « Prædie nimirum ejus diei, quo a jejunio et tentationibus deseruit desertum, nam prædie hujus « legationis vidit Jesum venientem ad se, et ait : « Ecce Agnus Dei. »

14. — S. Thomas hanc, quam Baptista de Judæis allegat ignorantiam, in alio sensu declarat, dum ait : *Nescitis*, id est, hoc quod Deus factus est homo, capere non potestis. Item nescitis, « quam magnus sit secundum naturam divinum, « quæ in eo latebat, quem vos nescitis, in mundo « erat, et mundus eum non cognovit; lux in « tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehendunt. »

VERSUS 27.

*Ipsæ est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus ut solvæm ejus corrigiam calcamenti.*

*Ipsæ est, qui post me venturus est, qui ante me factus est.*

1. — Postquam S. Joannes se humilitatem suam non ignorare demonstrasset, nunc quoque Dei se lumine præditum esse ostendit. Nam ut Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædagog.* ait : « Est disciplina pulcherrima ac maxima seipsum nosse; si « quis enim seipsum novit, Deum cognoscit. » Nos quoque si in perfecta nostri ipsius notitia exerceverimus, nobis ipsis frequenter dicendo : *Tu quis es?* ad Deum quoque cognoscendum magis magisque illuminabimur. *Ipsæ est, qui post me, etc.* Sapiens in *Proverbiis*, v, 1, dicit : *Numquid non sapientia clamavit, et dat vocem suam?* Sed quosnam invitat? num forte viros sapientes, eloquentes, magnaque litteratura præditos ad se evocat? minime; sed sequitur : *Intelligite parvuli*; humiles igitur ad ejus intelligendum

tiam elevantur, hi sunt quibus altissima et imper-  
scrutabilia mysteria sua revelat.

*Cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam  
calceamenti.*

2. — Euthymius in persona Baptistæ dicit :  
« Neque inter postremos ejus servos numerari  
« mereor, propter magnitudinem considerate in  
« eo divinitatis, postremis namque ministris aptari  
« solent hujusmodi ministeria. »

3. — S. Thomas quoque idem dicit, nimirum  
quod solvere calceamenta omnium sit ministerio-  
rum infimum : « Est minimum obsequium, » inquit,  
« quod hominibus fieri potest. Ex quo patet, quod  
« Joannes multum accesserat ad Dei cognitionem,  
« in quantum ex consideratione infinitæ magnitudi-  
« dinis Dei, se totaliter vilipendebat, et nihil se  
« esse dicebat. » Dionysius Carthusianus in Joan.  
similem inde moralitatem deducit, cum ait :  
« Noverat quod homo tanto sit coram Deo subli-  
« mior, quanto in oculis propriis fuerit vilior. » S.  
Cyrillus Alexandrinus S. Joannem se non tantum  
indignum censuisse scribit, qui ejus præcursor  
esset, verum etiam ne quidem qui servi nomen  
mereretur : « Tanto me intervallo superat, ut ne  
« servi loco dignum me apud ipsum reputem. »  
Verum enimvero, quia infallibilis est illa Christi  
promissio : *Qui se humiliat, exaltabitur* : ideo ut  
Chrysostomus, *hom. xxxviii ad pop.*, ait : « Manum,  
« quam calceamentorum dixit indignam, hanc super  
« caput suum Christus attraxit, quando ad bap-  
« tum Joannis verticem inclinavit. » Verumtamen  
difficultas hoc loco exurgit; cum enim Joannes se  
vocem Verbi dixerit : *Ego vox clamantis*, vox autem  
in ore sit eam formantis, quomodo igitur se indig-  
num, qui manus suas pedibus ejus admoveret,  
dicere potuit? Ecce tibi hujus rei mysterium : nimirum  
ad sublimiora cœli dona conservanda opus est,  
ut quis in terra, id est, in humilitate, sui que ipsis  
contemptu valde profundus sit. « Mystice per calcea-  
« menta, » inquit Dionysius Carthusianus, « intel-  
« ligitur Christi humanitas a Verbo induta, per  
« pedem divinitas humanitate lecta, per corrigiam  
« vero unio utriusque, Joannes ergo non fuit dignus  
« corrigiam calceamentorum pedis Christi solvere,  
« quia non potuit perfecte incarnationis mysterium,  
« seu modum hypostaticæ unionis humanæ naturæ  
« cum Verbo explicare, imo hoc excedit intel-  
« lectum non solum omnium viatorum, sed et Angeli-  
« corum spirituum. »

4. — Albertus Magnus postquam Joannem jure  
merito se indignum censuisse dixit, qui calceamentum  
Christi solveret : « Quia nullus sanctorum  
« sufficit ad minimi obsequii sui condignam ido-  
« neitatem, » mox aliam expositionem, illi, quam  
Carthusianus supra dederat, similem prosequitur,  
dum ait : « Aliter exponitur, quod calceamentum

« Christi fuit humanitas, pes autem deitas, corrigia  
« fuit unio; » indeque eandem consequentiam  
deducit, scilicet quod S. Joannes dicere voluerit, se  
indignum esse, qui mysterium adeo sublimem, quale  
Christi incarnatio erat, investigaret.

#### Additio.

a. — *Cujus non sum dignus ut solvam ejus corrigiam  
calceamenti.* Joannes se indignum professus quod  
solveret corrigiam calceamentorum ejus, dignus  
factus est, non tantum veniendi ad calceamentum  
Christi, sed etiam ad verticem ejus, quanto enim  
quis se humiliat, tanto magis exaltatur. *Humiliavit  
semetipsum Dominus noster Jesus Christus usque ad  
mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus  
exaltavit illum, inquit Apostolus, ad Philip., ii, 8.*

S. Bernardinus Senensis, ad illa se cantici Mariæ  
verba reflectens : *Respexit humilitatem ancillæ suæ,*  
inquit : « Non ait, respexit potentiam, quia *Domi-  
« nus depositus potentes de sede, et exaltavit humiles.*  
« Neque inquit : *Respexit sapientiam, quia stultam  
« fecit Dominus sapientiam hujus mundi.* Non deni-  
« que ait : *Quia respexit virginitatem, sed humili-  
« tatem, quia inveniuntur et fatuæ virgines;* proinde  
« Bernardus ait : *Etsi et virginitate placuit, tamen  
« ex humilitate concepit.* »

Abraham considerate, a Deo electum in omnium  
credentium patriarcham et Patrem; imo ita a Deo  
dilectum, ut aliquando ipsemet Dominus ex nimio  
in Abrahamum affectu dixerit : *Ego sum Deus  
Abraham; nun celare poterò Abraham quæ gesturus  
sum, cum futurus sit in gentem magnam, et benedi-  
cendæ sint in ipso omnes nationes terræ?* *Gen., xviii,  
17.* Sed quod tandem assignabimus tantæ exalla-  
tionis meritum? Frustra id inquirimus alibi, quam  
in stabili humilitatis ejus fundamento : *Loquar ad  
Domum meam, cum sim pulvis, et cinis.* Ecce vobis  
quos de se fecerit conceptus, quando ad divinorum  
secretorum participationem admissus est. Quam  
abyssalem Patriarchæ hujus exhibitionem obstu-  
pescens, S. Ambrosius dicit : *Hæc humilitate Abra-  
ham pater fidei nuncupatus est, qui cum divino  
participaretur alloquio, terram se esse dicebat et  
limum.* *Enar. in Ps. cxviii.*

S. Petrus, postquam, per obedientiam verbis  
cœlestis Magistri sui exhibuit, retia extendens,  
copiosam cœpisset piscium multitudinem, mox se  
ad ejus pedes prosternens, dixit : *Eci a me, quia  
homo peccator sum;* quasi diceret, inquit Lucas Bru-  
gensis : « Meam agnosco villitatem, dum tua se mihi  
manifestat celsitudo. » Respondit autem ei Domi-  
nus : *Ex hoc jam eris homines captiens.* Quibus ver-  
bis, ex mente Divi Chrysostomi, illum Ecclesiæ suæ  
caput declarabat.

S. Paulus in omnibus illustrissimis actionibus suis  
humiliavit se; tantum nimirum ut D. Chrysostomus  
dicere non dubitet : « Scire cupis quis vere sit

Versus 28.

*Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi  
erat Joannes baptizans.*

1. — Circumstantia illa loci, quam Evangelista  
allegat, mysterio non vacat, ut S. Cyrillus Alex. his  
verbis indicat : « Ut accurate diligenterque factam  
« esse narrationem significet; solemus enim, cum  
« de rebus magnis facienda est narratio, etiam  
« meminisse locorum, in quibus eas fieri conti-  
« git. »

2. — Albertus Magnus per adductam sancti  
Joannis Chrysostomi auctoritatem, permagni inter-  
fuisse dicit, ut loci exacta haberetur notitia, in quo  
hæc omnia acciderant, ut nimirum id non in an-  
gulo quodam accidisse constaret, sed in loco pub-  
lico, et in conspectu multorum, in tali videlicet  
loco, ad quem ex omnibus partibus homines ad  
Baptistæ prædicationem audiendam concurrere sole-  
bant. Secunda autem ratio, quam adducit, est :  
« Quia paulo ante factum est; et si quis dubitaret,  
« poterat requirere ab hominibus ibi manentibus,  
« Tertia causa mystica est : Quia Bethania domus  
« obedientiæ interpretatur, quæ quia respicit omne  
« præceptum, necessaria est baptizans, quia ipsa  
« est perfecta justitia, sicut veniens Christus ad  
« baptismum dicit, *Matth., iii, 13 : Sine modo, sic  
« enim decet nos implere omnem justitiam.* »

## DOMINICA QUARTA ADVENTUS

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. III, VERS. 1-5

1. Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam,  
tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituræ, et Trachoni-  
tidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha.

2. Sub principibus Sacerdotum Anna et Caipha : factum est verbum Domini super  
Joannem, Zachariæ filium, in deserto.

3. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum penitentiae in remissio-  
nem peccatorum.

4. Sicut scriptum est in libro sermonum Isaïæ Prophætæ : Vox clamantis in deserto :  
Parate viam Domini; rectas facite semitas ejus.

5. Omnis vallis implebitur : et omnis mons et collis humiliabitur : et erunt prava in  
directa, et aspera in vias planas. Et videbit omnis caro salutem Dei.

#### VERSUS 1.

Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, pro-  
curante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem  
Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus  
tetrarcha Ituræ, et Trachonitidis regionis, et  
Lysania Abilinæ tetrarcha.

1. — Cardinalis Toletus, in *Luc.*, Evangelistam

per superioris luminis instinctum, tempus, Prin-  
cipes et provincias, quibus imperabant, diligenter  
et punctualiter descripsisse notat, ad Messie com-  
probandum adventum, majoremque historiae suæ  
fidem conciliandam. Id quoque Salmeron, tom. IV.  
tr. ii, pariter advertit, dum ait : « Notatur tempus  
« missionis Joannis a lot Regibus atque Princi-  
« pibus, quoniam tempus ac ætas Baptistæ in tem-